

21  
DISSERTATIO;  
De

# ZOOPÆDIA MORALI,

Quam

*DIUINA FAUENTE GRATIA,*  
Consensu Ampliss. FACULT. PHILOSOPH.

In Regia ad Auram Academia,

& Auditorio Maximo,

SUB MODERAMINE

*Viri Clarissimi,*

## DN. JOH. MUNSTER,

Philos. Pract. & Hist. Prof.

*Discutiendam modeste silit*

S. R. M. Alumnus.

## JOHANNES RYDBOHM,

Ostro-Gothus.

Ad diem 12 Septemb. Anno 1703.

---

Exc. Jo. WALL.

Joh. Wiman

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Summæ Fidei Viro,

REVERENDISSIMO IN CHRISTO

PATRI ac DOMINO,

DN. HAQUINO  
S P E C C E L /

S. S. Theologiæ DOCTORI

Consummatissimo,

Inclytæ Diœcesios Lincopensis

EPISCOPO

Eminentissimo,

Venerandi Consistorii PRESIDI

Longè Celeberrimo,

Gymnasii & Scholarum ejusdem

Diœcesios EPHORO Gravissimo,

MECENATI & PROMOTORI Maximo,

submissa animi veneratione æternum colendo.

PACEM, FELICITATEM, ANNOS!

**A**ntistes grandis, Lumen Præsesque  
Sophorum,  
Ost Gothicæ PRÆSUL gentis &  
alme Pater.  
Quam subito trepidant jambnunc mea corda  
pavore!

Quam mea jam currit perpius ossa timor!  
Cum fulgore Tuo frontem sagit decorare  
Fœtus, quem profert nostra Thalia rudit:  
Sed prompte reficit vires animumque ministrat  
Militiae divæ principis aura sacra;  
Qua SPÆGÆ Gothicum Sidus complectitur  
omnes,

Qui cupida Phœbi dogmata mente colunt.  
Accipe nunc igitur munus celeberrime DOCTOR,  
Pectore quod calido Fennica Musa litat.  
Meq; tuum servū & submissā mente clientem,  
Digneris solito more beate Tuo:  
Scjlicet admotis manibus mibi subvenienda,  
Quem paupertatis grande gravavit onus.  
Elogiis celebrent meritis TE Vesper & Ottus,  
Dum solitam fundit Phœbus ab axe comam:  
Et demum cano multum venerabilis ævo,  
Elysii nemoris rura beata colas!  
Hasce pias voces fundam penetralibus imis,  
Dum mea vitalis spiritus ossa fovet.

REVERENDISS: VESTRAE PATERNITATIS

Cultor Devorissimus  
J. R.

Adm. Reverendo & Amplissimo Domino,

DN. M.OLAO LANGELIO;

Cathedralis Lincopensis & Eccles. quæ  
ad S. Laurent. Ædem colligitur PASTORI  
& ARCHI-PRÆPOSITO longè meritissimo,  
Consist. ADSESSORI Seniori gravissimo,  
ut olim Præceptorí optímo, ita nunc  
Promotori magno, quovis reveren-  
tiæ cultu prosequendo

*Nec non*

Reliquis Consistorii prædicti ADSES-  
SORIBUS æqvissimis, Clarissimis Gy-  
mnasii LECTORIBUS singulis, Præce-  
ptoribus & Promotoribus optimis, pia-  
mente perpetuo venerandis,

PROSPERA QUÆVIS !

Serena fronte respicite, Adm. Reverende  
& Clarissimi Domini, Promotores be-  
nignissimi, exiguum hocce Specimen Academi-  
eum, quod Vobis in devote obseruantia & grati-  
itudinis τεκμήριον consecratum eupit, qui pro  
Vestra incolumitate calidas fundere preces non  
desinet, dum spirat.

Ampliss. Vestr. Nominum

*Devotus cultor*

J. Rydbohm.

Ad Virum Juvenem  
Virtutis & Eruditionis gloria Conspicuum,  
DN. JOHANNEM RYD BOHM,  
Alumnum Regium dignissimum,  
Commilitem & amicum meum di-  
lectum,  
De ZOOPOEDIA MORALI  
docte & nervosè differentemus,  
Gratulatio :

bam tua promeruit virtus genero-  
sa corollam,  
In Sophiae studiis ingeniique  
bonis,  
Hoc mensis Specimen pretiosa laude coru-  
scans  
Musarum applausu, rite probare potest.  
Macte ! Tuis studiis & saeris ausibus  
ad sit  
In que usus patrios dirigat, ipse DEUS!  
Subito quidem, affectu  
tamen prolixiore  
scripta

â  
JOH. FLACHSENIQ,  
D. & Prof. Primario.

# Kling-Dicht.



Drifänders Währ i Acht att raa förståndi-  
dige höres;

Med Gid och Glise än före till Sommar'n  
hårda utti/

At det på fältia må een hymnig Höft till Sjuue  
An mehra Prijsvärde åri dijt alla icke edres;  
Gast mongen Wågar på/ deß Uppsåt doch  
förläres.

Hårt gälla wäl ibland Pistoler/ kood och Kruue;  
Hoos Mars ståar altid bli/ Riid/ Biid/ Stil/  
Hugg och Skuue.

Men uppå Pindi kline med rålige mod ale  
göres.

Görbentkull åren I/ Her RYDBOHM myc-  
ket säll/

Som fligig på Ehr Wache haa fåde/ och noga  
achteat

Ehr ljuswe Ungdoms Währ; så Morgen sā-  
som Qwäll

Qwad lärda Mån haa lärde med alftware sinn  
betrachtat.

Eer wackere Sommar Prof wij nu der af  
hår see;

En fruch:sam Höft hår på O Himmel  
wärdes gee!

Så snstar

N. V. M. D. & P.



A. Ω.

# CAPUT I.

De

PARTE GENERALI ZOOPÆDIÆ.

§. I.



um Summum Numen circa ipsa primordia rerum, totum hocce mundi systema, omnipotenti suo verbo creatum, Sole, Luna, Planetis, Stellis, quovisque genere arborum, herbarum & graminum, nec non animantibus cuiuslibet generis volatilium, gressilium atque natatilium, artificiosissime exornasset, etiam hominem, cui hæc omnia inservirent, intra sextiduum, ineffabili sua bonitate condidit; eundemque omni genere virtutum, tam moralium, quam intellectualium, adeo condecoravit, ut ipsam DEI imaginem haud obscure exprimeret. Verum hisce non contentus homo, sed majora affectando, semet ipsum immortalitatis, sapientiæ & sanctitatis tunica

A

spo-

spoliavit, imo virtutum omnium complexu atque tota sua concreata perfectione, adeo misere se privavit, ut exigua tantum vestigia remanerint; quorum ulteriori culturæ, post illam nunquam tatis deplorandam metamorphosin, à solidæ eruditionis viris, adhibita sunt certa quædam præcepta scitu maxime necessaria, quæ, uno verbo, Philosophiæ Moralis nomine veniunt. Cujus considerationem verbo tantum aggressuri, depræhendimus illam ipsam, instar uberrimi tontis in varios rivulos abeuntis, tantæ amplitudinis esse, ut compræhendat sub se Moralia non tantum Oeconomicæ: utpote qua ratione dominus & familia est regenda, insuper etiam quomodo Maritus & Uxor in castitate atque timore Domini vitam degentes, liberos suos quovis exercitio pietatis instituendos curare debent, & porro, quomodo liberi tenentur, quavis pietate filiali suos prosequi parentes: sed & Politica, quomodo Reges & summi Imperantes, publicam salutem quærere debent,

bent, & subditi iterum suo Magistratui debita solvere, & eorum summa animi veneratione, memores esse, atque ubi- vis locorum ipsis quævis fausta adpre- cari: imo Historica, perplurima enim, tam Virtutum, quam vitiorum exempla Historci proferunt: nec non cognitio- nem & cultum Divinum naturalem con- cernentia Moralia, intra complexum su- um continet Philosophia Moralis, utpo- te: DEUM esse colendum &c. præter in- numera alia, quibus recensendis, nec tem- pus, nec charta, nec tenuitas virium mearum sufficerent, nec instituti ratio requirit, idcirco illa ipsa consultius silen- tio involvenda duco.

§. 2. Disciplina hæc intra suos can- cellos insignem amplitudinem, respectu Materiæ circa quam, comprehendit, & ratione Formæ tractandi, docendi & discendi Moralia, non simplicem, sed multiplices variosque admittit modos, utpote 1. Gnomologicum, intellectum, de vita bene instituenda, gravissimis im- buentem sententius; 2. Apodicticum, qui con-

consistit in demonstrando quid sit rectum, quidque ablonum ac dictaminis rectae rationis contrarium 3. Paræneticum sive Præceptivum, qui egregiis admonitionibus & adhortationibus voluntatem & appetitum, ad ea, quæ honesta sunt, excitat & assuetudinem. Et 4. Modum Paradigmaticum, cuius usus in eo consistit, ut mortales aliorum egregiis exemplis excitentur, ad facienda illa, quæ honestati & rectæ rationi maxime sunt congruentia, ea autem, quæ virtuti convenientia, instar veneni fugienda.

§. 3. Insignem vim, & admirandum, ne dicam, prorsus Divinum robur, exemplis inesse, animos mortalium commovendi ad ea, quæ honesta, atque Legitam Divinæ quam humanæ maxime convenientia sunt, sectanda, nec non execranda sceleratissimorum hominum facinora, vel fugienda, vel amplectenda, cuvis, rectâ ratione prædicto, etiam metacente, obvium est. Quotidiana quippe experientia satis superque docet, atque inculcat, illos, qui cum bonis ver-

san-

santur; eorum piis colloquiis, honestis  
moribus, & integra vita, varios atque  
insignes variarum virtutum profectus  
facere: alios autem qui pravorum utun-  
tur consortio, non posse non pestifera  
eorum contagione deteriores evadere,  
juxta egregium illud Siracidis effatum:  
*cap. 13 l. Qui attingit picem, se inde pollu-  
sum reddit, & qui versatur cum superbis,  
superbiā discit.* Ea quoque de causa,  
DEUS populum suum peculium, seve-  
rissime prohibitum voluit, fœdus pan-  
gere cum Philisteis, atque habitationem  
illis intra pomeria sua concedere, ne il-  
lorum execrandis exemplis ad immolan-  
dum Idolis commoverentur; atque sic  
verum DEUM, rerum omnium Archi-  
tectum ostenderent. *Exod. 23. v. 31. Quo-*  
*etiam Salvator noster, tanto feliciori-*  
*cum successu, auditores suos commo-  
veret, eorumque animis præcepta æter-  
næ beatitudinis consequendæ instillaret,*  
*semper fere usus est, modo Paradigma-  
tico; quo etiam illi, licet alias duræ cer-  
vicis atque cordis incircumcisæ essent,*

ita

ita afficiebantur, ut illius audiendi gratia, ex uno loco in alterum confluerent. Exemplorum vim & admirandam efficaciam stimulandi animos mortalium satis declaravit Julius Cæsar, qui animadversa apud Herculis templum Alexandri Magni imagine, atque in memoria revocatis heroicis ipsius facinoribus, quibus totum fere orbem sibi subjecerat, uberrimas effundebat lacrymas, *Sueton.*  
*I. i.* Perplurima quidem exemplorum vim declarantia possent afferri, quæ tamen brevitati studentes præterimus; Hoc tantum addimus, quod Reges & Magnates, suis exemplis mirum in modum ingenia inferiorum perstringere, & ad bona & mala stimulare, possint. Adeo ut, non raro ad ingenium & mores Regis sui omnes subditi sese accommodent, quo nihil frequentius apud populum Israëliticum, sacræ Pandectæ luculentissime expandunt: ut merito locus hic videatur vulgari proverbio:

*Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

§. 4. Breviter jam vi & efficacia exemplorum, languido licet stilo, adumbrata, dicimus exempla virtutum & vitiorum, tam à rebus inanimatis, quam animatis, hisque, tam ratione carentibus, quam præditis, desumi posse. Esse enim mundum hunc instar magni libri, in quo rerum omnium Conditoris, tum singularem potentiam, tum inauditam sapientiam, providam curam, atque inexhaustam bonitatem cuilibet, quantumvis agresti homini atque inerudito, non modo legere liceat, sed etiam ejus lectione, in omni virtutum genere institui, plerique sapientum existimarunt. Quod etiam ita verum evadit, ut nulla adeo despicata atque vilis existat creatura, quæ si penitus inspiciatur, non aliquam vitæ recte pieque instituendæ ac transigendæ tradat disciplinam. Utpote minimum gramen, singularem DEI providentiam rerum omnium inculcat, quod licet vestitus & nutrimenti sui respectu nihil quærat, sufficienter tamen Suum Numen eadem suppeditat. Quod cum

cum homo contemplatur, inde discat, spem suam in DEUM collocare, & neutiquam terrena hæcce tam solicite curare. De Gregorio quodam, cognomento Theologo, memoriæ proditum accepimus, quod solicitus fuerit, ex re qualibet, moratæ vitæ documenta elicere, atque singula, quæ tum audiret, tum videret ipse, ad morum informandorum disciplinam convertere. Atque ratio hæc pervenienti in cognitionem omnipotentiæ, sapientiæ, & bonitatis Summi Numinis, continuamque ipsius retinendi memoriam, longe est utilissima, & multo facilima, unde tam Pandectæ Sacræ, quam Sancti Patres, eandem tanto studio tradidere. Nam vere & singulari cum fructu DEUM memoria tenet, qui ita eum in operibus suis ubique præsentem contemplatur, atque intuitu eorum virtutem imprimis colendam, vitium autem sumptuopere fugiendum edidicit.

§. 5. Hinc resultat jam modus tractandi moralia, sive stricte Exemplaris,

ex

ex hominum egregiis moribus imitan-  
dis, nec non detestandis eorum facino-  
ribus, in exilium relegandis, desumptus,  
utpote Ethicis usu receptus; sive Hiero-  
glyphicus, quarumcunq; rerum in mun-  
do existentium, non solum animatarum,  
verum etiam inanimatarum. Qui mo-  
dus apud quasdam gentes adeo usitatus  
fuerat, ut totam suam Philosophiam &  
Theologiam, per certa animantia, cha-  
racteres & signa, ex rebus, vel animatis,  
vel inanimatis expresserint. Ut potè, For-  
titudinis mentionem facturi, pingebant  
anteriora leonis, effigiem vesparum,  
quæ pugnant in hostem; item Adamen-  
tem, vel Tigrim, fluviorum rapidissi-  
mum. Timiditatem, autem, ipsis debo-  
tabant lepus, cuniculus, crocodilus &  
ameleon. Temperantiam adumbratu-  
ri, lumbos præcinctos, cingulum & Zo-  
nam, cubitumque cum fræno apposuere,  
vel salicem, cujus materia est apta vin-  
culis, atq; adeo est coercitionis indicium.  
Abstinentiæ signum ipsis erat Camelus.  
Sobrietatis Symbolum fuit Amethystus.

Intemperantiam dissuasuri lucernam ardentem delinearunt. Faces & ignis fure nota Cupidinis, & ebrietatis panthera, quæ vini admodum est avida. Prudentiam denotaturi, serpentem pinxere. Homo concordens equum ferocissimum, Icarus & Phaëton, illis erat hieroglyphicum imprudentiae. Par ratione Justitiam inculcando, præter alia signa, statuas Magistratum Thébanorum, quæ sedentes sine manibus, oculis clausis effingebantur, item libram seu bilancem apposuerunt. Injuriam autem nemini inferendam intellectum volebant per effigiem Acantis, atque sic in cæteris. Datur quoque modus Mythologicus, sive ex brutis singulariter petitus, quo, ut taceam alios, usus est Æsopus, in virtutes & vitia mortalium, sub variis apologorum involucris detegendo. Urpote, sedulitatem amplectendam adhortatus, mentionem fecit formicæ & cicadæ, nec non rustici moribundi, filios suos advocantis monentisque defossum thesaurum diligenter inquirere.

Injustæ, autem, divitiarum acquisitionis  
ac possessionis incommodum expressu-  
rus, narravit quomodo anteriores & gru-  
es uno in prato palcebantur. Adve-  
niente vero aucupe, grues sua levitate  
adjuti, facile avolarunt, anteriores autem  
sua gravitate impediti, ab aucupe com-  
prehensi fuere. Atque hos modos  
tractandi *Moralia*, ex brutis singulari-  
ter petitos, nos *Zoopædiam Mora-*  
*lem*, stricte sic dictam, præcipue vo-  
camus. Et licet neminem, qui priori-  
bus saltrem labris aliquem Græcæ linguæ  
ceperat gustum, latere queat, quid vo-  
cabulum *Zoopædiæ* importat: placet ta-  
men unico verbo, ad consuetudinem re-  
ceptam, heic loci natales ipsius indicare:  
dicendo, vocem hanc compositam atq;  
derivatam esse à ζων, quod significat  
animal seu vivens, quasi à ζωη vita, id-  
que à ζω vivo, revivisco, & παιδεια insti-  
tutione, quod à παιδειω, erudio, doceo, ca-  
stigo, them. παις. Atque conflata sic vox  
*Zoopædiæ*, vi etymologiæ, institutionem  
ab animantibus sumtam, significat.

§. 6: Superiori §. 4. dictum quidem  
 est, singularem quandam doctrinam mo-  
 ralem haurire posse mortales à singulis  
 rebus, sive simplices, sive mixtæ, animatæ  
 vel inanimatæ illæ sint; earum tamen si  
 instituatur comparatio, facile constabit,  
 quod reliquis multo majori nos imbuant  
 informatione ipsa bruta. Etenim ab illis,  
 documenta tantum, per accommodatio-  
 nem quandam, vel factam proportione  
 quadam applicationem, deduci atque de-  
 rivari possunt: ab his vero, quæ sensibus  
 tam internis, quam externis prædictis sunt,  
 ducitur disciplina morum, non solum  
 per hanc accommodationem, sed etiam  
 ex eo, quod ab iis exercetur. Quam-  
 quam id fatendum est, ab animantibus  
 brutis peti doctrinam morum, & vitæ  
 humanæ præcepta, non tantum ab iis,  
 quæ vere obeunt ipsa; sed etiam per  
 accommodationem & applicationem. E.  
 g. ex eo, quod strutio camelus dicatur  
 ferrum devorare, eoque nutriri, *Ælian.*  
*L. 24. cap 7.* docemur, dura atque adverba  
 quælibet pati, eaque in usus nostros, ali-

men-

mentumque spirituale & virtutum accessionem convertere. At doctrina ista non sumitur ex eo, quod strutiocamelus id faciat ipse, quod docet; neque enim is dici potest adversa æquo animo ferre; sed sumitur ex quadam similitudine ejus quod facit, applicatio, ad id quod fuit docendum. Nam sicut se habet ferrum ad strutiocamelum, sic se habet adversitas ad hominem. Quemadmodum igitur ille, ut dicunt, ferro pascitur; ita & hominem convenit, tanquam ferro, rebus adversis pati, & neutiquam illis deficere.

Q. 7. Licet cuivis sanæ mentis, qui saltem leviter rem perpendit, luce meridiana clarus & notius sit, quid per animantia bruta, à quibus tam varia atque egregia vitæ morumque documenta derivari possunt, intelligendum veniat: placet tamen hac occasione mentem nostram aperire, dicendo: nos per illa intelligere non tantum animantia pura, ut sunt columba, turtur, ovis, agnus, hædus, vitulus, vacca & taurus, qui in  
Vet.

Vet. Testamento, vi mandati Summi Numinis, in sacrificiis offerebantur: nec solum domestica & mansueta, ut gallina, canis, asinus & equus: neque sylvestria, ut alauda, lucinia, vulpes & leo, &c, Sed unico verbo, sub nomine brutorum, omnia animantia, tam volatilia, quam gressilia, reptilia & natatilia, comprehendenda atq[ue] intelligenda esse dicimus.

¶ g. Consideratio horum, non modo singulari quadam animos mortaliū perfundit voluptate, verum etiam variis atque insigneis, generi humano, per totum vitæ curriculum, præstat utilitates. Primò, enim, hominem, in cognitionem inexhaustæ sapientiæ, omnipotentiæ, atque infinitæ bonitatis ipsius DEI dicit, qui tot genera animantium, tam diversa magnitudine ac forma, tamque subtili atque admirabili organorum nexu & dispositione fabricatus est, tamque diversam illis indidit naturam. Deinde, docet Zoopædia parentibus incumbere, liberos suos maximo amplecti amore, atque à primo limine vitæ, magna

gna solicitaque cura enutrire & educare, statimque, annis crescentibus, vera ac non fucata pietate, omnis sapientiae ac felicitatis fundamento, illos induere, atque artibus liberalibus, quibus omni vietum & amictum sibi honeste comparare queant, informandas, curare. Porro, liberos teneri, eodem modo, parentes summa animi veneratione amplecti, obedientiam ipsis praestare, eos per totum vitae spatium, praeципue senio contextos, fovere, atque omni pietate filiali prosequi, tandemque vita beate defunctos, honeste humo mandare, inculcat. Præterea, in vita communi, quid homo homini, Imperans subdito, & subditus Magistratui, praestare debet; imo, quomodo maritus & uxor, conjugium suum caste, & ab omnibus illicitæ veneris & stupri stimulis, impollutum servare, leque invicem mutuis sinceræ amicitiae oculis excipere, atque polygamiam fugere, haud obscure adumbrat. Denique, quomodo mortales, instar veneni, voluptates & onus reli-

liquorum omnium gravissimorum scelerum scaturiginem profundissimam, extreme aversari debent, atque effusis ad sidera, ex intimo cordis affectu, calidissimis precibus & votis, operi suo diligenter incumbere, sua forte contenti, piam agere vitam, telisque adversæ fortunæ insilientibus, ad Summum Numen, ut liberi, paternæ protectionis favore confisi, in sinum carissimi genitoris prope rare, finitoque vitæ termino, voluntate Divina contenti, hilariter animam Creatori commendare, docet. Præter multos alios usus, quibus enumerandis, nec tempus, nec charta sufficeret, sed nec humeri mei tanto oneri pares sunt, quos proinde consultius silentio prætereundos existimo.

§. 9. Et quemadmodum hæc doctrina, in maximam sapientiæ, omnipotentiæ, atque bonitatis Divinæ admirationem sibi addictos rapit, & mira animos eorum afficit voluptate, eisque innumeræ exhibit utilitates; ita quoque illam, tam Scriptoribus prophanis, quam

Sacro Codici maxime familiarem esse  
deprehendimus. Illi, enim, virtutes &  
mores egregios, cuivis mortalium val-  
de necessarios & summopere imitandos,  
nec non execranda facinora extreme fu-  
gienda, non modo historicè & expressis  
verbis, sed etiam per involucra fabula-  
rum, quasi in tabula pinxere, quod mul-  
tis verbis per facile esset probatu: quo  
tamen heic loci supersedemus, ad Pan-  
dectas Sacras properantes. Hæc etiam  
non uno in loco, sed passim, homines ad  
bruta ablegant, ut ab illis præcepta mo-  
ralitatis discant. Ut pote Prov. cap. 6. v. 6.  
*Vade ad formicam, O piger! Et considera vias  
eius, Et disce sapientiam eius, que sine exa-  
ctiore praefat sedulitatem.* Simili modo in-  
nuere vult Spir. Sanctus, nobis eundum  
esse ad apiculam, & animadvertisendum,  
quanta industria mellificium exerceat, &  
ad milvum, qui in cœlo cognovit tem-  
pus adventus sui. Et per Esajam c. 1. v. 3:  
inquit Dominus: *Agnoscet bos possessorem  
suum Et asinus presepe Domini si: Israel  
non agnoscit, populus meus non animadvertisit.*

Et causa quare Sp. Sanctus, tum ad formicam, legnitiei deditos, tum incuriosos atque futurorum improvidos Judæos ad milvum, turturem, bovem, & quæ sunt cætera, amandat, est, ut eos sui ipsorum pudeat, cum advertant se le animantibus istis diligentia, labore, & futurarum rerum præscientia, inferiores existere. Et ad hortandum sane, si Quintiliano fidem habebimus, præcipue valent imparia, quatenus conficiuntur argumenta à minori ad majus, uti hic deducuntur exempla & similitudines à brutis, & ad homines accommodantur. Nam si ea, quibus rationis usus est denegatus, juste, fortiter, temperanter & provide aliquid agunt, vel saltem schemata quædam harum aliarumq; virtutum ostendunt, quam indignum erit, qui ratione prædictus, & quidem ad imaginem DEI conditus est, injustum, timidum, intemperantem, improvidum, atque negligentem, pulvinari ipsius diaboli, consecratum esse.

§. 10. Antequam, autem, in spatio-  
 sissimum Disputationis nostræ, vel po-  
 tius substratæ materiæ, campum, pe-  
 dem ulterius promovemus, ab institu-  
 to alienum non videtur, verbo tantum,  
 indigitare ipsam Zoopædiæ Metho-  
 dum. Quam, premendo vestigia Do-  
 etorum, duplicem esse deprehendi-  
 mus: alteram Physicam, qua bruta cer-  
 tis distinguntur classibus, alteram  
 Ethicam sive Moralem. Priorem a-  
 liis colendam relinquimus, atque po-  
 steriorem facimus nostram: non ta-  
 men per locos communes eundo, ut qui-  
 dam usi fuere, sed secundum ordi-  
 nem virtutum Moralium, quæ apud  
 Ethicos solidæ eruditio[n]is, communi-  
 ter usu venire solent. Pro exiguis vi-  
 tribus, operam sumus adhibituri in  
 proferendis exemplis, & monitis qui-  
 buscumque, præcipue vero Ethicis,  
 Politicis & Oeconomicis, ad informa-  
 tionem generis humani ex considere-  
 ratione brutorum, desumtis.

## CAPUT II.

De

PARTE SPECIALI ZOOPÆDIÆ.  
MORALIS.

§. I.

**Q**uemadmodum totum hoc vastum Moralitatis Oceanum, cui nos committere cœpimus, plurimorum vorticum adeo plenum esse invenimus; ut illis circumventi, quo pedem figamus, vix sciamus, ne Charybdin vitando, incidamus in Scyllam; ita non minimum nobis facessit negotii, ingens illa laboris moles, quæ circa ipsum discursus nostri limen, in parte hac speciali occurrit, quam primum iudicium tenuitatis ingenii nostri intendimus ad considerationem controversiarum, quas, tam de virtutum, iisque oppositorum vitiorum numero, quam ordine, inter se se fovent Moralistæ. Inter alios, è castris veterum Menedemus Eretriensis & Aristo Chius, unam tantum

tum faciebant virtutem, quæ, vel nomine, vel objectis solum, differret, ut testatur Plutarchus. Eandem opinionem ibidem Zenoni Cittico & Chrysippo tribuit, sed error hic pridē profligatus est. Plato & Aristoteles, quanquam copulatas uno quasi vinculo inter se virtutes esse statuant, plures tamen faciunt. Doctores Scholastici vulgo ex D. Ambrosio & aliis Patribus, quatuor adferunt virtutes Cardinales : Temperantiam scil. Justitiam, Prudentiam & Fortitudinem. E foro quoque modernorum Ethicorum, quidam faciunt divisionem virtutum Moralium, secundū quatuor classes, hac ratione. Quod nimirū, aliæ 1. versentur circa corpus hominis, ut Fortitudo & Temperantia. Aliæ 2. circa ejus bona vel mala externa, utpote circa pecunias, Liberalitas & Magnificentia : circa honores, Magnanimitas & Modestia : circa Irām, ut Mansuetudo. Aliæ 3. circa conversationem, ut Humanitas, Veritas, Urbanitas. 4. Circa Con-

tractus, ut Justitia. Alii porro alia incedunt via, distinguendo virtutes in Morales, Homileticas, Imperfectas & Intellectuales. Nec tamen hi de numero & ordine conveniunt. Quidam enim faciunt septem virtutes Morales, alii quinqut tantum. Præterea etiam Justitiam nonnulli virtutibus Homeliticis annumerant, & quidem in ultimo loco collocant, alii autem inter Cardinales, illam, Fortitudini præponunt. Nonnulli Pietatem, vel tanquam quendam affectum modo, vel tanquam virtutem Theologicam, e numero virtutum Moralim prorsus excludendam volunt. Alii vero inter virtutes morales, primum merito locum eidem assignandum, firmis adstruunt argumentis. Has à memet jam obtuso stilo indigitatas, præter multas alias circa divisionē & numerum virtutū, controversias, quas, mihi libris necessariis destituto, non licuit videre, tenuitatis virium mearum satis conscientius, non assumo conciliandas, sed aliis maturiori ingenio, easdem discutiendas relinquo. Ordinem vero quod attinet, ductum virorū insi-

in signis doctrinæ, arbitrarium esse putamus. Quare ab instituto nostro alienum non videtur, si primum stilum ad virtutem Intellectualium, deinde Moralium, & denique ad Homileticarum delineationem, in quantum illarum vestigia in brutis reperiuntur, simpliciter flectamus.

§. 2. Hisce præmissis, ad virtutes Intellectuales, juxta promissum, nos statim accingamus, ostendendo earundem cum primis umbram, qua artem & prudentiam, in animantibus brutis, non obscure notari. Quod satis inter alia, ex hirundine in construendo nido suo, probari potest. Quippe collectis stramentis, si lutum non invenierit, ubi nidum extruere vult, ad aquas advolat, sumitates alarum humectat, posteaque in tenuissimo pulvere se volat, atque hoc pacto luti usum sibi comparat. *Plin. L. 10. c. 33.* Deinde stramenta luto isti humido conjungit, & quidem ita implicat, ut faciunt, qui parietes ex lapidibus, cum admixto luto exstruunt. Admodum caute fundamentum ponit ex solidis & firmis, ut ita dicam, stramen-

mentis, & postea leviora admiscet. Figuram operi suo non angularem, vel anfractibus plenam, sed globosam & æquabilem fingit: quia hæc capacior est, fortiusq; violentiæ insidiantium resistit. Nec minori architecturæ industria pollent Apes, quæ hic illic circuvolitant, & ex præstantissimis pratorum floribus, optimum quodque colligunt. *Arist. 9. c. 40. Plin. lib. 11. c. 11.* Deinde apiarium obducunt cera, quæ pars est instar tecti, atque huic operi, duriori utuntur materia. Sub tecto faciunt cellulas sexangulares, non angulo sed lateri aptantes, quod plurimum facit ad firmitatem. Et Regum suorum, quos sic vocare placet, cellas, eminentiori loco ædificant, amplioresque faciunt. Circa has proxime sunt illarum, quæ sunt seniores, ut sint veluti consiliarii & satellites eorum, quos, ut dictum, Regum colunt loco. Extimum locum occupant juniores & ætate firmiores. Et artificiosam Aranearium texturam, quis mirari & satis rimari possit? Etenim in illa apparent centrum quod,

quoddam & certi circuli, hæc ratione diversi, quod viciniores sint magis contracti, remotiores a. ampliores. Repositorum quoque seu cubile sibi faciunt, in quo delitescunt, ne à muscis conspiciantur, in quod etiam captas muscas portant ac condunt, donec fames ipsas urgere incipiat. Et quem mortalium in maximam non rapiat admirationem insignis illa prudentia, vel ejus umbra, qua pollet Formica, non tantum in exstenuendis sibi diverticulis, verum etiam in observandis temporibus colligendi viatum. Tempore enim messis, vitæ necessaria in hyemem sibi comparant, quasi præviderent, tempore brumali in agris vacuis frustra pabulum quæri. Quod optime etiam accommodari potest ad tempestivam atque diligentem investigationem eorum, quæ usui vitæ spiritualis maxime inserviunt. Hæc vita est ætas & messis, quâ homini, inter quaslibet tentationes & calamitates, patienti animo laborandum est; & extrema dies, multis futura est

hyems rigida, si neglexerint fidei ac dilectionis horreum, unde vivere & compensationem licuit sperare. Qui horum tempestive memor non fuerit, ingruente hyeme, caligines mentis, nubes timoris, tempestates, & gelu rigidissimum judicii, expectare cogatur. Prudentiam Serpentis satis innuit atque commendat ipse Salvator, dicendo: *Estate prudentes ut Serpentes;* qui, urgentibus periculis, caput, primariam sui partem, quantum queunt, abscondunt. Insignem quoque prudentiam naturalem, vel si mavis calliditatem quandam, circa viatum sibi comparandum, ostendit vulpes, dum Echinos, quos nullo robore capere valet, arte vel astutia superat, efficiendo ut supini procidant, quo facto ventrem eorum petit. Ad hæc quoque cum videt prætervolantes aves, gravi urgente fame, nec tamen commode alias sibi cibum acquirere potest, mortuam se singit (ut dicitur) atque sic illas allicit, quas dein arreptas, devorat.

§. 3, Admiranda sane in brutis, non modo  
pru-

prudentiæ, sed & qualiscunq; ingenii, do-  
 cilitatis, sagacitatis, solertiæ, mansuetu-  
 dinis, castimoniæ, cæterarumq; , tum vir-  
 tutum, tum vitiorum simulacra eminere,  
 cuivis sanæ mentis obvium est : quibus  
 nonnulli adeo sunt cofnoti, ut cancellos  
 veritatis longe transgressi fuerint, at-  
 tribuendo brutis rationem seu princi-  
 piū actionum suarum, imo jus natu-  
 rale hominibus comune. Atq; fallam hanc  
 opinionem fuisse, tam prioris, quam  
 hujus ævi, non paucos deprehendimus.  
 E foro Antiquorum, qui bruta, rationis  
 capacia faciunt, eminent Anaxagoras,  
 Plato, Pythagoras, & Sextus Empiricus,  
 cujus verba ita sonant : *Nullum animal est  
 expers rationis, sed omnia sunt intelligentiae &  
 scientie capacia.* Et ē castris Recentiorū,  
 qui pro hac sententia militant, sunt  
 Guil. Alvernus Episcopus Parisiensis, nec  
 non Hieronymus Rorarius, qui bruta non  
 modo non rationis expertia, verum et  
 iam eādem, melius quam homines, uti,  
 non veritus est affirmare. Hoc ipsum  
 quoque præsupponere videtur apud Ju-  
 ris-

risconsultos notissima Juris definitio: *jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit.* Atque hinc descendere maris & fœminæ conjunctionem, procreationem liberorum, eorumque educationem, quæ omnia etiam in brutis obliuvare licet. Sed respondemus primum, ad sententiam eorum, qui directe brutis rationem assignant, atque hoc modo unum tantum genus animalium quasi constituunt, dicendo: egregia quidem virtutum & vitiorum in illis reperiri vestigia; magnam tamen dari differentiam, inter hominem & bruta, siquidem ille, præteritum & futurum tempus cum præsenti, optimè sciat componere, hæc autem in præsens, naturali duntaxatim pelluntur impetu. Et licet prorsus inficias ire nequeamus, quædam animalia, paululum etiam persentiscere præteritum & futurum, sit illud ipsum ab his non aliquo λογισμῷ, sed solo naturæ instinctu. Nam rationis proprium est, non tam affectus suos temperare, atque actiones suas quibuslibet modis per-

agere ac variare, quam illas intelligere, cognoscere & judicare; quod frustra quis a brutis expectet, quamvis alias solerter satis, & sane maxima admiratione dignum ordinem in operationibus suis adhibeant. Verum semper singula, eodem agunt modo, ut natura ferruntur, unde aranea texit, formica micas & grana colligit, accipiter semper gallinam pullosque ejus inhiciat, quodque non facit unum individuum, sed singula. Suas etiam habent voces inarticulatas, quibus cognoscuntur, unde latrat canis, ululat lupus, cantat gallus, mugit bos &c. adeo ut, si quis bene cognitam unius individui habeat vocem, optime totius speciei agnoscere queat. Ex paucissimis hisce aliquomodo constare autumo, falsitatem supranominatae sententiæ, siquidem tam Sacris Literis, quam rectæ rationi ea contrarieatur. Et profecto nec firmiori veritatis calo nituntur reliqua, ab aliter sentientibus afferri solita. Cum jus naturale proprie sic dictum, sit dictamen rectæ ra-

gationis, sed in brutis nulla datur ratio; ut antea innuebamus, ergo nec rectitudo rationis, & per consequens nullum jus. Et in quos non cadit injuria, ipsis nec jus competere potest: jam a prudenteribus dilekte negatur brutis aliquam injuriam imputari posse, quod sensu i.e. ratione careant. Porro, nulla libertas moraliter agendi est in brutis, ut in homine: Et si hoc jam verum est, sequitur necessario, nulla ratione obligari posse bruta, cum tamen ad jus naturæ & honestatem, omnes homines sint obligati, ut juris proprie dicti vocabulum, sine obligatione, ne quidem intelligi queat. Hinc ergo constat, quod non nisi improprie brutis virtutes & via, præmium vel poena attribui possint. Dici itaque abusive tantum poterit Jus naturale brutis esse cum homine commune, non quod jus ipsum reperiatur in illis, sed quia ea, quæ speciem solum recti habent, dum faciunt bruta, quando ab homine sciente & volente fiunt, ex jure Naturæ facta esse dicuntur. Ita bru-

bruta per inclinationem naturalem tu-  
 entur se contra vim, alunt & protegunt  
 sibolem, & similia præstant, quæ etsi in  
 ipsis rationem juris & justitiae non ha-  
 bent, justa tamen sunt, cum homo ea  
 facit. Quod quoque comprobat Hugo  
 Grot. dicendo: *Quando brutis justitia tri-  
 buitur, fit impropre ex quadam in ipsis um-  
 brâ rationis atque vestigio.* Verum, hisce  
 objici solent quædam loca in Textu Sacro  
 occurentia, quæ brutis & jus & injuri-  
 am tribuere videntur. Utpote Gen. 9. v. 5.  
*Sanguinem vestrum de animabus vestris re-  
 quiram, à manu nullius non animalis.* Dein-  
 de occidi jubetur jumentum, cum quo  
 quispiam homo concubuerit *Levit. 20. 15. 16.*  
 Ulterius bos cornupeta, qui hominē oc-  
 ciderit lapidari jubetur *Ex. 21. 28.* Similiter  
 sancitur, si quis offenderit nidum avium,  
 ne matrem accipiat cum pullis, sed pullos  
 tantum, matre libera demissa. Interdi-  
 citur porro ne quis arer simul asino &  
 bove. *Deut. 22. 6. Ex. 10.* Et Plinius, sup-  
 plicia, inquit, annua canes pendunt scil.  
 apud Romanos inter ædem juventutis &  
 tum.

summani, vivi in furcas Sambucea ar-  
 bore fixi: Ideo nempe, quod ab his  
**Galli** non animadversi essent, sed anse-  
 rum clangore ac strepitu M. Manlius  
 cum suis militibus demum esset excita-  
 tus. Præter multa alia exempla & te-  
 stimonia, quæ afferri possent, quibus  
 tamen tempore exclusi, supersedemus,  
 & paucissimis tantum ad prolata respon-  
 debimus. 1. quod attinet, de sanguine  
 humano à bestiis requirendo, dicimus  
 diversas quidem Hebræorum ea de re  
 esse sententias, quarum hæc vetustissi-  
 ma receptissimaque est: Denotari cæ-  
 dem humanam à bruto, ab aliquo ho-  
 mine, instigato, factam. Dum scil. non  
 solum vindictam sumpturum DEUM  
 de cæde ab homine patrata, sed & quæ  
 fit à bestia ab homine incitata. Com-  
 probat hoc ipsum eorum opinio, qui  
 memorant, tantam fuisse impietatem ho-  
 minum ante diluvium, ut nocentissimas  
 nutriverint bestias, quo earum ministe-  
 rio commodius dominarentur. 2. quod  
 attinet nefarium illum cum bestia con-

cubitum, in tanti facinoris abominationem bruta cum homine comburi aut lapidari jubentur, non quod illa proprie peccassent, ac veram pœnam luerent: homines enim, qui ex commisso scelere reatum contraxerunt, lege interdum sic puniuntur, ut sæpe res etiam aliæ, sive animatæ, sive inanimatæ, in loco sceleris commissi, repertæ, ex eadem lege cum hominibus sint comburendæ, ne memoria tam nefandæ rei refricetur. Sic Achan *Josu.* 7. 25. propter peccatum suum, non modo cum filiis & asinis ac boibus, sed tentorio quoque & omnibus quæ ei erant, comburebatur. Nec dispar ratio, cur bos cornupeta, qui hominem occidisset, lapidandus esset: non ob jus aliquod violatum; sed partim ut eo magis constaret non leve esse peccatum homicidium, cum sanguis hominis etiam à bruto repetatur, partim etiam ut dominus in sua re punietur, quod negligentius illam custodivisset. Ea de causa quoque eius carnis ejus prorsus interdictus fuit, ne aliquo modo in com-

modum heri cederet. De pullis autem cum matre non auferendis, & asino bovi non jungendo; ideo præceptum esse dicunt Auctores; dum ab iis, quæ speciem crudelitatis tantum & injuriæ habent, abstinerent, eo fortius à vera crudelitate & injuria proximo inferenda, retraherentur. Nec fuit supplicium proprie dictum, quod de canibus sumptum narrat Plinius. Sed veluti anseribus ementitius aliquis honos olim fuit habitus; ita canes suppicia quædam impro priè dicta subierunt, ut luculentius custodiæ & beneficiorum erga Rempublicam præmia, tum ignaviæ locordiæ que pœna, velut in schemate, quotannis civibus repræsentarentur.

§. 4. Breviter sic hinc tactis, atque pro ingenii nostri tenuitate discussis, pedem nunc promovemus ad ulterius delineandas virtutum species, eo quo cœpimus modo; illarum princeps quasi & caput Pietas constituitur à plerisque. Illam autem inculcant respectu ipsius laudis divinæ, omnes in tota rerum na-

tura existentes creaturæ, sive sint animalæ, sive inanimatæ, ut supra quoque dictum est. Specialiori tamen modo id præstant bruta, & quidem omnes aves, præsertim Alauda & Luscinia, quæ nihil magis obiter facere videntur, quam pabulum disquirere, nihilque majori studio, quam in aëre Summo Numini suaves canere hymnos. Inde discant homines non terrenorum insatiabili desiderio sese macerare, sed multo majori Zelo cœlestium, ceu præstantissimorum curam agere, quo arctius suo Creatori sese agglutinent, eique sine intermissione canant. Porro respectu obedientiæ supremo Numini præstandæ, egregium præbet exemplum Canis, qui in venationibus, ut & aliàs, à cursu incepto, levi sono facilimè revocatur: Item oves, quæ etiam levi pastoris strepitū, seu qualicunque sonitu, de quo antea edoctæ, summa cum celeritate, unum in locū congregantur. Quam quoque non fucatæ venerationis amore DEUS sit amplectendus, eriam eo videtur ostendere Canis, quod sem-

semper herum suum comitetur, odore il-  
lum investiget, vocem ejus agnoscat, i-  
psiis mortuum corpus interdum non de-  
serat, homicidam morsu & latratu pro-  
dar, & pro Domino contra facinorosos  
homines atque latrones ferocissime pu-  
gnet. Hujus rei egregium refert exem-  
plum Plutarchus, de Rege Pyrrho, qui in  
itineri invenit canem, qui per integrum tridu-  
um Domini sui imperfecti cadaver custodierat,  
¶ per totum hoc spatium famem tulerat, posse  
eaque in lustratione exercitus Pyrrhi, auctore vero  
cædis mordicus apprehendit, qui tormentis sub-  
jectus, cædem fuit confessus.

§. 5. Accedimus iam ordine ad For-  
titudinem, cujas vestigia etiam in mul-  
tis animantibus brutis inveniuntur, quo-  
rum in numero est Aquila, quæ tanta est  
fortitudine animi, ut cervos vastitate cor-  
poris satis insignes aggredi audeat, eos  
que non nisi superatos dimitat. Plin. E. 10.  
c. 4. fortitudinis atque roboris Elephanti  
mentionem non facio, neque Leonis, cum  
ipſa infecta etiam hanc virtutem adum-  
brant, utpote Apes, quod Historici variis  
ex-

exemplis probatum eunt; & inter alia  
quomodo Dux quidam Regis Lusita-  
niæ A. Christi 1513 apud oppidum Xia-  
rimense in Mauritania obsecus fuit; &  
non potuit aliter saluti suæ consulere,  
quam projectis apum alvearibus in ho-  
stes. Quo facto, in furorem ab apibus ex-  
citati sunt equi, unde hostes oppugna-  
tionem deserere cogebantur. *Franz. part. 5. c. 2.*  
Eodem modo ab obsidione liberatus est  
Dux quidam Imperatoris Henrici, à Du-  
ce quodam Lotharingiæ, præter multos  
alios, ut scriptores testantur. Fortitu-  
dinem Vesparum experientia docet esse  
tantam, ut neminem admittant ad domos  
suas, sed acerrime pugnant pro illis, nec  
cessent nisi penitus extinguantur. Irri-  
tatæ mira pertinaciâ circumstrepunt, fœ-  
tus suos defensuræ. Inde mortales di-  
scant acerrima subire certamina pro ve-  
ra religione, & libertate patriæ, nec non  
carissimis suis pignoribus defendendis.  
Et quemadmodum hæc, ut taceam alia  
bruta, insigne ipsius fortitudinis exem-  
plum fuere; ita nonnulla ingenium ho-  
mi-

minum in nimiam audaciam inclinanti-  
um, haud obscure adumbrant. Quorum  
in numero deprehendimus Gallum gal-  
linaceum, qui licet adversario suo pror-  
sus sit impar, hoc tamen non considerat,  
sed viribus nimis confilus, admodum te-  
mere illum aggreditur, a quo tandem ma-  
gno cum dedecore illi est fugiendum. Ti-  
miditatem autem quandoque exprimunt  
**Canes**, qui quidem vehementer interdum  
latrant, aggredi vero non audent. Item  
**Crocodilus**, qui licet vastitate corporis,  
unguium atque dentium immanitare, nec  
non tanta duritie cutis in tergo, ut durissi-  
morum ictus lapidum prorsus eludat,  
sit armatus, & valde horribilis appareat,  
natura tamen adeo timidus est, ut fugien-  
tes tantum perlequatur, insequentes ve-  
ro fugiat. Huc quoque trahi possunt,  
quaे pertinere videntur ad Patientiam,  
quam inculcant varia animantia, utpote  
**Elephanti**, qui ne ad graves quidem ictus  
excandescunt. Sa is etiam nota est ovis  
patientia, quam & Sacrae literæ summis  
efferunt encomiis. Et canis domesticus  
quam-

quamvis ab hero atque domesticis cæda-  
tur, & insigniter vapulet; eos tamen sæ-  
pius ne allatret quidem, multo minus  
mortu sese vindicare nititur; sed demissio  
capite gravissima excipit verbera. Asin-  
nus, mulus, elephas & camelus, nobis  
imponentibus, pro lubitu nostro onera  
in se suscipiunt, ad nutum nostrum pro-  
cedunt, impositam molem bajulant, ni-  
hil oneris discutiunt, pro imperio nostro  
gradum fistunt, paleas loco pabuli non  
respuunt, imo quævis fere dura, sine signi-  
ficatione impatientiæ, devorant. Quanto  
igitur plus deceat hominem rationis  
compotem pudore suffundi, si non ærum-  
nas & calamitates, à Summo Numinetan-  
quam à carissimo patre immislas, pati-  
enter & æquo animo ferat. Verum si-  
cut experientia nonnunquam contrari-  
um probat, quod equus, calcaribus inci-  
tatus ad iram, mordeat frænum; plurimi  
sic hominum, frænum, Legem tam Divi-  
nam quam humanam pati nolunt, ju-  
gum suscipere detrectant, onera in hac  
mortalitate occurrentia portare renunnt,

&amp;

& instar indomiti equi rectorem excusare satagunt.

§. 6. Paucissimis, ad Fortitudinem quæ spectant, in medium prolati, properamus ad Temperantiam, sine qua fortitudo propemodum existere nequit. Anima quippe deliciis & voluptatibus corporis immersa, stulta & insipiens evadit, atque ex homine belluam facit. Hanc igitur insignem virtutem, mortalibus summo nisu amplectendam esse, varia inculcant bruta, veluti Gustus respectu Accipitres, qui si justo plus comedant, evadunt pigri, si parum nimis, debiles sunt, ut diu vivere nequeant. Et Elephanti, si plus justo devorarunt, inedia fese macerant, ut semper sint apti ad fugam, vel repentinias pugnas. *Franz. part. 2. c. 12.* Extrema virtutis Temperantia, tam in defectu, quam excessu, virtutis hominis respectu, maximè esse nociva, ex supra alatis patet exemplis. Saluti corporis idcirco consulendum docet Anser, qui folia lauri nunquam attingere dicitur, si vel fame ipsi moriendum esset,

qua-

quasi sciret naturæ suæ (calidæ) adver-  
 sari *Ælian.* lib. 5. c. 29. Quia in re homi-  
 nes longe superat, qui quidem optime  
 sciunt, caliditate vini inflamari membra  
 interna, internumque calorem consumi,  
 frigiditatem, tandemque ipsam mortem  
 induci: immoderatum tamen vini usum  
 non fugiunt. Sobrietati, adhuc, generi  
 humano maxime studendum esse, vivis  
 quasi coloribus depingit *Camelus*, qui tri-  
 duo sitim tolerat, ut *Plin.* l. 8. c. 18. tradit. Nam  
 quantum incommodi secum fert ebrie-  
 tas sive ebriositas, inculcare putatur Par-  
 dus, qui licet alias sagax & astutum, a-  
 nimosum & audax sit animal, facilimè  
 tamen vino inebriatum, opprimitur.  
 Quantumvis, ut & id hic notemus; brutis  
 plerumque universis id videtur commu-  
 ne, ut non plus bibant, quam naturæ con-  
 gruat, neque ullis minis, vel verberibus  
 adigi possint, ut eam mensuram exce-  
 dant. Temperantiam etiam, respectu  
 ipsius Tactus, mortalibus studiose colen-  
 dam adumbrant, perplurima brutorum,  
 quibus solenne est, statum generationis

sempus servare, quo elatio, desinunt generationi vacare, cum non tam voluptatem, quam prolem, quærere videantur. Taceo Elephantos, qui dicuntur non coire cum alienis, neque cum suis admodum lascivè, sed adeo modestè prolis causa, ut ne quidem cæteris spectantibus, sed in secessu aut occulto quodam loco, neque prius ad gregem recedere, nisi lavaverint se. *Aelian. lib. 8. c. 17.* Castitatem & mutuum amorem conjugalem nobis ante oculos sicut columbæ, quem, etsi quotidiana experientia confirmat esse insignem, scriptores tamen non pauci eundem quoque commemo- rant; quos inter Plinius *Lib. 10. c. 34.* scite ut solet, hunc in modum scribit: *Pudicitia illis prima est, & neutri nota adulteria. Conjugii fidem non violant, communemque servant domum. Nisi cœlebs aut vidua, nidum non relinquit.* Quod in Conjugii exemplum trahit Propert: *Lib. 2. Eleg. 12.* ejusmodi verbis:

*Exemplo junctæ tibi sint in amore columbae.*

*Masculus & eorum fœmina conjugium.*

*Ejus-*

Ejusmodi haud contemnendam castitatis speciem, non tantum inter se custodiunt Ciconiae, verum etiam homines adulteros, summo prosequuntur odio. Refert Ælianus lib. 8. c. 20. De quadam adultera, quæ rem habuit cum servo in absentia mariti. Itaque irruit Ciconia in ingratam fæminam, oculosque ipsi effodit, ut ita vindicaret injuriam absenti Domino illatam. Libidines autem voluptatesq; corporis, quanto cuivis sint incommodo, satis docent sua pernicie Sargus & Scarus, quorum alter capras, alter fæminas, bestiali & insano prosequitur amore. Uterque enim umbris harum in mari conspectis, magno numero adnatant, & retibus includuntur, Ælian. l. 1. c. 23. & l. 1. c. 2. Vitandos ulterius esse illicitos amores, ut & Polygamiam, adumbrant quidem supra allata in apricum exempla, præcipue illud à Turture desumptū, quæ etiam uni tantum nubere dicitur; hunc autem, amissa sua conjuge, non ducere aliā, sed solum incedere, imo versari in locis solitariis, hominumque commercia fugere, valde miserè gemere, aquam, quam

quam est bibiturus, prius turbare pedibus, nunquam descendere in agros vel hortos, nisi fames vehementer urget, & statim postea inde reverti, constans opinio est. Hinc factum est, quod olim, in nuptiis, Neonymphis, turturum concordiam sint precati.

§. 7. Sequitur jam ordine inter virtutes morales, ipsa Liberalitas, quam nobis commendat Aquila, quæ nunquam fere suam prædam, nisi admodum famelica sit, totam, sola devorat, sed cæteris volucribus, tanquam sodalibus, partem quandam relinquit, sua tamen prius accepta portione. In Gallo autem gallinaceo hujus virtutis imago magis radiat, quippe qui, quam primum grana quædam frumenti ipsi objecta fuerint, vel quæcunque alia ab ipso inventa, statim gallinas ad se convocat, ut una secum comedant. Prodigalitatem etiam vitandam esse inculcat Sciurus. Pari quoque ratione avaritiam, ceu oppositum Liberalitatis, & velut omnium malorum radicem, extremè odio habendam esse,

rite adumbrant pisces, qui finibus suis contenti, in aquis laeti commorantur. Quin imo divitias, hominibus, non raro magis nocere, quam prodesse, discimus a Cervis, quorum cornua ipsis interdum, non tantum oneri, sed maximo sunt impedimento. Avaros etiam plurimum fallere semetipos, docet Hirudo sive sanguisuga, quae cum summo nisu, summaq; aviditate venas aliorum animalium cunctas reddere moliatur ex sanguine, suspensa crepat ac disrumpitur. Ita quoq; homines avari, multis, summa aviditate corrasis, subito saepe inter medios sudores expirant, neque aliquem laborem suorum sentiunt fructum, ipsimet, nec legitimi haeredes illorum. Nam verum esse quod dici suevit: *Male parta male dilabuntur*, testatur Perdix, quae licet singulari calliditate aliis avibus ova subtrahat, eaque excludat & foveat: pulli tamen agnoscentes illam non esse matrem nativam, recedunt, & ubi cunq; vocem illius audiverint, ex qua geniti sunt, statim illi se se associant. Quā proprietate quicq; annotavit, & ad injusta lucha

ēra applicavit Spir. Sanctus, ejusmodi  
verbis, *Jer. 17. 11.* *Perdix* (quæ) colligit sed non  
peperit, (est) faciens divitias, sed non cum  
judicio: (nam) in medio dierum suorum de-  
seret illas. Ita quoq; homines avari, qui  
injustis titulis magnas cumularunt opes,  
de illis neutiquā gaudebunt, multo minus  
eorundem hæredes, ut proverbium habet:

*Demale quesitis non gaudee tertius beres.*

§. 8. Devolvitur jam ordo ad ipsam  
**Modestiam**, cujus tanta est vis, ut omnium  
in se ora convertat, & ad honestissima in-  
super existat incentivum. Si mōpere iraq;  
est commendanda, atq; mortalibus cunctis  
amplectenda. Excessum autem ejus, ex-  
crandā nempe ambitionem & superbiam,  
variorum vitiorū genetricem, instar ve-  
neni fugiendam quodammodo adumbrare  
videtur Pavo, cuius pulchritudo licet sit  
inimitabilis ob gemmeos colores pen-  
narum, quas soli adverso expandere solet,  
præsertim per ridentia prata incedens a  
pedibus tamen subito inspectis, statim ani-  
mū quasi suum dejicit, & circulū pennarū,  
ut dicitur, contrahit. Quod considerare de-  
bent

bent homines superbia elati. Nam licet interdum videantur sibi habere aliquid, unde exultent: tamen si paulo penitus suam originem inspexerint, quod ex terra defumti sint, eidemque tandem reddendi sint, & per totam vitam fatis mortalitatis obnoxii, tenentur inflatos spiritus comprimere, atque tunicam humilitatis induere.

S. 9. Modestiam, in ordine virtutum excipit Mansuetudo, quam hominibus colendam, suis suadent exemplis, non modo bruta Mansuetudinis nomine insignita, verum etiam ferocissimæ bestiæ, ut Leo, Tiger, Aspis &c. quorum clementiam & mansuetudinem admirabilem, ne dicam prorsus incredibilem, apud scriptores deprehendimus. Clementiam exercent Elephanti non tantum erga cætera animalia, & quidem minus valida, sed etiam erga homines in speluncis & sylvis errantes. Plin. l. 8. c. 5. Imo erga facinorosos, quos illis objicere solent conculcandos. Quod tamen Elephanti non facile exequuntur, nisi vino obruti fuerint. Rex enim

enim Bochus, sæviturus in triginta viros, eosdem tot Elephantis stipitibus alligatos proposuit, sed Elephanti nolebant associare se illis, à quibus exagitabantur, ut satisfacerent sævitiaz Regis. Quod porro mansuetudinis colendæ magister videatur esse Elephas, id ulterius probatur, referente Philostrato, lib. 2. c. 5. Semet ipsum vidisse vastissimum quendam Elephatum, cui insidebat puer 13 annorum, qui hanc bestiam parvo bacillo ducebat, quocunq; velle. Prætereo Leonem, qui dicitur parcere infantibus, iisque, qui supplices procidunt, neminernque lædere, nisi extrema urgente fame, aut cum ab aliis læsus fuerit, ut habet versiculus vulg.

*Parcere subjectis scit nobilis ira leonum.*  
 Leones ita mansuetfecit Antonius, ut currum traherent. Plin. l. 8.c. 16. Hanno Cartaginensis, eosdem Leones, ad tantam mansuetudinem adegit, ut loco asinorū sarcinas portarent; & quod magis admiratione dignum videtur, illos adeo mansuetos reddidit Antonius Caracalla, ut etiam osculis ipsum incolumem exciperent,

rent, labiaque ipsius lamberent, sub prandio circa mensam in scannis sederent,  
 & instar domestici catuli tempore nocturno, una cum ipso, in lecto dormirent.  
 Et Aspis, ut Scriptores tradunt, quamvis admodum sit perniciosa, tamen apud  
 Ægyptios ita cicurari solet, ut appellata  
 à pueris, ex caveis prodeat atq[ue] accedat  
 ad mensas, ubi ponunt ipsi vinum, & mel-  
 litas aliquas particulas, quibus vescitur.  
 Et tempore nocturno, etiam in tenebris  
 cum surgunt domestici, digitis crepant,  
 quo serpentes audito, mox secedunt, ne  
 conculcentur. Adeo nulla fere bellua tam  
 ferox & horribilis existit, quæ non ali-  
 quo modo institui, arque beneficiis de-  
 mulceri queat. Valde itaque detestandū  
 est, hominem suos affectus, quos cum  
 bestiis habet communes, modestia non  
 velle domare, eisque frænum injicere.  
 Nam quid incommodi secum assertim-  
 moderata ira & propria vindicta, docent  
 Apes, quæ, si ferientem sele referiunt,  
 aculeoque pungunt, aculei sui vulneri-  
 immori dicuntur, Nec magis proficua

videtur nimia lenitudo & indulgentia,  
quod vel ex Glauco probari potest, qui  
tam immodicè suos amat fœtus, ut hor-  
rore vel metu alicujus periculi immi-  
nentis percussus, omnes in ore receptos  
devoret: *Ælian. L. 1.c. 16.* Quod est imago  
parentum illorum, qui adeo ardent im-  
modico amore liberorum, ut nec verbe-  
ribus, nec verbis, eosdem castigare susti-  
neant. Unde sequi necesse est nimis la-  
xam disciplinam, & mores minus pro-  
batos, liberorumque tandem æternum  
exitium.

§. 10. Hactenus occupati fuimus in  
delineandis virtutibus circa affectus; se-  
quuntur jam illæ, quæ dirigunt conver-  
sationem, consideratam, vel ratione ju-  
cunditatis, vel veritatis seu reticentiaz,  
atque insigniuntur hæ nomine virtutum  
Homileticarum. Quibus ceu pulcherri-  
mis flosculis humana coronatur societas,  
quarumque usu & fructu vita hæcce ca-  
duca destitui nequit. Statim itaque sine  
ambagibus, ad Humanitatis sive Urba-  
nitatis delineationem, stilum vertimus.

Hanc

Hanc virtutem quodammodo repræsentat canis, qui admodum affabilem sese gerit, cum herus, vel domestici, eum alloquuntur. Per pauci vero hominum, vestigia ejus premunt; quidam enim adulatio[n]i se tradunt, alii vero admodum morosos sese præbent. Illorum ingenium haud obscure exprimunt, felis, Psittacus & Simius, qui non habent rationem hominis, sed sine judicio atque respectu personarum, locorum & temporū, quosdam æmulantur gestus; ita adulatores, cum non possunt prodesse consilio, student imitari magnorum virorum πάρεργα non ἔργα, qua tamen ratione, suam tantum produnt ignorantiam & insignem stultitiam. Et quemadmodum Simiae non reperiuntur apud homines infimae sortis, sed apud Magnates & Principes, quos quoque interdum lædunt: ita quoque adulatores gaudent aulicis proximi esse, quorum in gratiam loquuntur, & aliis struunt insidias, atque suos cultores non raro decipiunt, & in magna mala conjiciunt: cuius rei exempla nimis

mis multa suppeditat lectio historica. Indoem autem morositatis mancipiorum admodum rite exprimunt Rhinoceros. Apes & vespæ, ut taceam alia, quæ nullo modo mitigantur, quamvis quispiam omnem adhibere velit operam.

§. II. Pedem ulterius promovemus ad ipsam Veritatem, sine qua societas humana persistere nequit, atque illam summopere esse fovendam innuere videntur saepius nominatae Apes, quæ nihil fucatum & unguentis odoribusque delibutum, non summo habent odio. Per plurimi tamen mortalium, hujus oppositum fœdissimum, mentiendi vitium, ambabus, ut dici suevit, amplectuntur manus. Quorum ingenium egregie indigitat Talpa, quæ solem plurimum odit ac fugit, nec nisi ad horam unam vel alteram potest degere super terram. Quod genuina cœcitatis actalitatis imago est, quod nequeat solis, vel veritatis, radios sustinere, sed semper sub terra, & in obscuro degat. Nam sicuti tenebræ discuntur à sole ; ita mendacium à veritate

in exilium relegatur. Consortium quoque hypocritarum ubique esse fugendum, utpote hominibus probis & simplicibus valde nocivum, discimus, vel à Polypo, qui saxum in mari natus, eidem adhæret firmiter, ejusque colorem induit, qualis qualis sit. Quo sit, ut piscium complures ad ipsum improviso nantes, tanquam ad saxum appellant, quos illico arreptos devorat. Haud secus vitanda est societas perfidorum hominum, quippe qui, alios candidæ animæ, suis lenociniis, cito fallere queunt. Quoru naturam, scorpius admodum scite declarat, qui prius capite blandire fertur, quo postmodum citius ac commodius lædat. Quo etiam serpentis antiqui calliditatem innuit, qui mortalibus objecta admodum grata objicit, quo tanto facilius eosdem in suam trahat nastram.

§. 12. Porro ad ipsam Taciturnitatem devolvimur, qui non minus quam cæteræ virtutes in Sacris Literis & apud prophanos Scriptores sumopere laudatur, maximæque in vita humana est nec-

cessitatis. Hanc nobis maximè commēn-  
data m̄ faciunt Grues, quæ dicuntur, quan-  
do ex Cicilia devolant, & monti Tauro  
appropinquant, quo in loco per plurimæ  
inveniuntur aquilæ, lapillos in ora recipe-  
re, ut hoc modo sibi ipsimet quasi silentiū  
imperent, ne in ungues aquilarum in-  
cidant. *Franz. part. I. c. 6.* Et licet tacere ju-  
sto tempore & loco egregia sit virtus, vi-  
tium tamen non exiguum est, semper &  
continuo silere, & non justo itidem tem-  
pore & loco sensa animi modeste profer-  
re, & ad quæsita non apposite respondere.  
Et quemadmodum hi tacendo plurimū  
peccant; ita non pauci sua loquacitate &  
garrulitate delinquunt. Eorum insolem  
egregie depingunt Picæ, Ranæ, Cicadæ  
& similia, quæ nunquam tacere sciunt,  
sed sua garrulitate, otii amātes infestant.  
Fugienda itaque est garrulitas, cum fœdū  
illud vitium homini non raro maximo sit  
incommodo, quod discimus à Graculis, gar-  
rulitati valde deditis, quæ ipsis etiā quam  
sæpiissimè exitialis est.

§. 13. Breviter sic consignatis virtutibus, quæ dirigunt actiones nostras in ordine ad nosmetiplos, sequitur jam Justitia, quæ nostras actiones ad alios componit, dissipatos homines congregat, congregatos servat; quæque adeo necessaria est, ut sine illa, nulla Respublica esse possit salva, ne clatrorum aut furum cohors aggredi quidpiam aut efficere possit, nisi ipsimet, sui consortii respectu, hanc, vel umbram ejus foveant. Illam autem qualitercunque generi humano delineant Leones, qui in copiosissima multitudine rite observant, à quibus vulnerantur, & si non possunt evadere, irruunt tantum in illos, eosque solos prosternunt. Plin. l. 8. c. 6. Et si non vulnerantur, sed solummodo infestantur, telaque aberrant, non prosternunt, nec ungue lœdunt, multo minus dilaniant, sed leviter solum percutiunt & terrent. Hujus virtutis etiam studiosissimæ sunt Formicæ, quippe quæ vacuæ, obviam eunt ferentibus onera, nihil ab illis petunt, nec vi auferunt, sed quælibet, & sibi, & utilitati publicæ colligere

gere studet. Justitiam adhuc amplectendam, personarumque acceptationem fugiendam, tacite quasi monent illa bruta, quæ sui generis amantes, quasilibet suæ speciei, pari prosequuntur benevolentia amorisque signis, neque maiores inter & paucillas, pulchras & deformes, ullum faciunt discrimen. Quod & parentes discant licet à Cornicibus, quæ amore infilios feruntur æquali. Etiam furta esse vitanda, discant male morati ex Elephante, qui, ut refert Plutarchus de quodam in Syria, cui servus seu gubernator pro integra hordei mensura, semper dimidiatam offerebat, praesente jam Domino, cum servus seu rector Elephantì mensuram integrum & plenam ipsi apposuisset, proboscide sua dimidiatam partem segregavit, atque hac ratione, insipienti bero furtum servi pulchre patefecit.

S. 14. Tandem accedimus ad Gratiudinem, Veritatis & Justitiae sobolem, ut quidam illam dicere amant. Quasi duo priores gratitudinis actus, nempe beneficium agnoscere & prædicare, ad Veritatem pertinerent, ultimus, vero, beneficium

cium scil. retribuere, ad Justitiam spe-  
 taret. Et sane hac virtute nihil frequen-  
 tius occurrit in actionibus brutorū, nota-  
 tim in Cane, Pardo, Lupo, Ciconia, &c.  
 Mentionē facit Ælianuſ lib. 6. c. 2. de Par-  
 do quodam, qui à teneris cum hædo con-  
 sueverat: tandem hædum à Domino de  
 industria seu sponte dilaniatum, Pardos  
 devorandū fuisse appositū, qui tamen ab  
 hoc suo contubernali prorsus abstinuit.  
 Longè ergo deteriores sunt homines, qui  
 non raro fraternalē charitatis plane i-  
 mōres, suos necessarios atq; consanguineos,  
 quibuslibet modis excruciatos, qua-  
 si devorant. Refert porro Ælianuſ l. 8. c. 22,  
*De vidua quadam Tarentina, que, astivo tem-*  
*pore, cum pulli Ciconiarum maturius evolassent,*  
*atque unus eorum infirmior delapsus fuisset,*  
*atque erus suum fregisset, sanavit illa eundem.*  
*Sequenti anno cum illa ipsa vidua in aprico loco*  
*sedebat solis captandi gratia, dimisit sese eadē*  
*Ciconia humili volatu ad mulierem, Ex un-*  
*guibus lapillum quendam pretiosum in genu e-*  
*jus misit, posteaque in seculo consedit, quo indi-*

caret se eundem esse, quem præterlapso anno sa-  
naverat, cumque agnovit, visa ipsius cicatrice.  
Adeo etiam bruta rationis expertia be-  
neficiorum memoriam tenent. Quam i-  
taque execrandum est, homines ratione  
præditos, & quidem ad imaginem DEI  
conditos, ejusmodi bestiis esse inferiores!  
Nihilominus tamen complures vitio hu-  
ic mancipati inveniuntur: quorum ima-  
go est Cuculus, qui matrem suam, ut vo-  
lunt, Cucurram, à quâ excluditur atque  
fovetur, juxta sententiam Veterum, avi-  
de impieque devorat.

§. 15. Antequam scriptoris nostræ  
filum abrumpimus, ultimo jam loco sub-  
jungere placet, Amicitiam, virtutis effe-  
ctum, & societatis humanæ vinculum, per  
quod non tantū Respublica ædificatur, sed  
res privatæ maxime crescunt: & ad bene  
beataque vivendum ac virtuose agendū,  
plurimum affert momenti. Illam proin-  
de summo nisu colendam, varia obliq' quasi  
suadent animantia, non modo, quod il-  
lam inter se, sed etiam cum hominibus  
in-

ineant, utpote Elephanti, Dracones, Delphini, &c. Commemorat Plutarchus de quodam Elephanre, qui Alexandriæ pulcherrimam quandam fœminam singulari amplexus fuit amore, eique inter prætereundum poma attulit, juxta illam parumper commoratus est, proboscidemque corpori ejus blande admovit; præter multa alia hujusmodi exempla, quæ nobis suppeditat diligens lectio historiarum. Et licet Draco sit animal admodum horribile, notat tamen Ælianuſ lib. 6. c. 63. in Arcadia quandam fuisse inventum, qui vehementer amabat puerum, & cum parentes exitium filii ab hoc confortio nasciturum metuebant, Draconem in sylvam ablegarunt; accidit autem forte fortuna, ut puer adultior factus iter faceret, & incideret in latrones, valdeque acclamaret: bestia igitur utpote quæ acutissimo pollet visu & auditu, vocem pueri agnovit, ipsum liberavit, liberatumque domum reduxit. Quam itaque auditu indignum est, conterraneos, imo fratres,

tres, non modo nullum præstare auxilium, urgente necessitate, verum insuper damnum inferre, semetipos invicem lædere, gravissimaque pericula quibuslibet modis augere. Quam ardentissimo quoque amore parentes debent amplecti liberos suos, inculcant omnia fere bruta, imo stupidissima. Nam quid Asino stupidius? fœtus tamen suos adeo vehementer amat, ut per aquas & ignem ad eos currat, eosque contra pericula defendat, quantum valet. Amorem Gallinæ in suos pullos non memoro, siquidem non modo quotidiana experientia confirmet ipsius sollicitudinem esse insignem, verum etiam Sacræ Pandectæ, eandem summis efferant encomiis. Quanta etiam cura ac sollicitudine ulterius educandi atque instituendi sunt liberi, qualitercunque adumbrare videtur Aquila, pullos suos, quam primum volare didicerunt, expellens, atque in altum extollens, ut adversos solis radios intueri assuescant: Plin. L. 10. c. 3. Hirundo, saepius nominata, ma-

ture etiam assuetacit pullos ad inquirendum cibum. Ita quoque a primis quasi unguiculis, vel ad scholam, vel ad alia artifia manuaria, ducendi sunt liberi, ut discant, quo successu temporis sibi honeste viatum & amictum comparare queant. Et quemadmodum parentes, tantam curam & solicitudinem debent filiis suis bene educandis recteque instituendis; ita quoque filiorum esse, parentes summa animi veneratione, omnique pietate filiali ubivis locorum prosequi, vivis quasi coloribus delineant Ciconiae, quæ maxima cura fovent suos parentes senio confectos, nec facile patiuntur eos evolare ad quærendum pabulum, sed ipsæ discurrunt, & deferunt parentibus necessaria: *Ælian. l. 3. c. 23.* Ardentiori ramen adhuc amore & pietate parentum suorum tenetur Merops, quæ non differt gratitudinem suam ad senium usque eorum, sed, quam primum volare discit, illam exercere incipit: *Ælian. L. II. c. 30.*  
**Quod sane pulcherrimum est exemplum omni-**

omnibus pīis liberis commendatissimum,  
 quos decet pio zelo parentibus benefa-  
 cere, & ne rituam gratitudinem suam  
 in seros differre annos. Imo ejusmo-  
 di pietatis affectu debent liberi paren-  
 tes amplecti, non modo vivos, verum  
 etiam post mortem, cadavera scilicet eo-  
 rum curando honeste humo mandari:  
 videntur id quodammodo observare Ele-  
 phanti, qui nunquam sui generis mor-  
 tuum quempiam prætereunt, quin ter-  
 ram, vel ramum, proboscide imponant  
*Aelian. L. 5. c. 49.* Apes etiam suorum mor-  
 tuorum celebrare exequias asserit *Plinius,*  
*lib. II. c. 18.* dicendo: *Multas apes, quando  
 una defuncta est ejicienda, prodire in funus:*  
*Et extincto Rege totam plebem mœrere ignaro  
 dolore, non convehere cibos, sed tristi tantum  
 glomerari murmure circa corpus ejus.* Si jam  
 hoc sit inter bestiolas, quanto magis ho-  
 minibus curæ esse debet, ut suorum pa-  
 rentum & propinquorum cadavera, hu-  
 mo rite & solemniter commendentur.  
 Et ut post mortem nostri memores ha-  
 be-

beatus superstites, qui curam nostri  
 gerant, amplectenda videtur Socia-  
 litas, quam & inculcant uno nomine,  
 omnes aves gregales, utpote Columbae,  
 Grues, Sturni, Graculi & similes. Item  
 Formicæ & Apes, quæ velut rempubli-  
 cam quandam habent. Hac etiam vita  
 gaudent boves, quorum alter alterum in-  
 quirit, & frequenti mugitu suum testatur  
 desiderium, si non cito reperiat socium.  
 Horsū aliorumq; egregia exempla imitari  
 debent Christiani, quærendo confortium  
 piorum hominum & esse memores, quod  
 pessimorum & sceleratorum fodalitia,  
 ceu cane & angue pejora, sint fugienda.  
 Et essent quidem perplurima ad no-  
 bilem hanc materiam pertinentia in  
 medium adhuc proferenda; verum insti-  
 tuti nostri ratio, nec non ipsa temporis an-  
 gustia illud ipsum prohibet ulterius per-  
 sequi. Idcirco heic gradum sistimus, atq;  
 à Te candide Lector, qua par est, animi  
 observantia, contendimus, ut hunc no-  
 strum tenuitatis ingenii fœtum, tua  
 æquitate fovere digneris.

Doctrina & moribus insigniter conspicue,  
DN. JOHANNES RYDBOHM,  
Amice probatissime.

Virtutis prodant si tot documents animantes  
Quis cognata Polo, Mens non in pectore  
præsens;

Candida præcedit Pieta Ciconia nobis,  
Ut pia quæ soboles humeris fert membra pa-  
rentum,

Præstat & ore cibos, ac munera mutua reddit.  
Sedulitate monet magni Formica laboris,  
Hæc redit, itq; frequens solers, ut condat acervo  
Ore trahit quodeunq; potest, & provida sumæ.  
Jam nihili posthac somni fœcordia mater,  
Et mentem vitiis nil contaminare nocivis,  
Sanctius his animal mentisque capacius altæ,  
Nivelit esse minus, virtute animantibus impar.  
Exemplo vixisse juvat. Non, scire Tonantem,  
Sufficiet tibi, sed sit tota mente colendus.  
Singula quid referam? docet hæc Tua Suada ma-  
nusque

Dexteritasq; satis, mi conjugissime RYDBOHM,  
Gratulor ingenium Te sic coluisse per artes,  
Ut sis nunc doctæ non ultima gloria turbæ.  
Vive DEO dignus porro, Te præmia justa  
Libere pro meritis cum fœnore læta manebunt  
Mense quam vena promptior indebat  
J. NEELMAN,  
Ostr. Goth.